

Jacobus Dandulus, & Andreas Donatus ; quo media cœptæ urbis trepidatione elapso, Dandulus in hostium potestatem venit. In urbe duplex nummus per id tempus percussus est : qui majoris fuit ponderis, octonis taxatus solidis, alter vero binis. Pons ad ædem Minorum tum quoque ex candido lapide constructus . Ita suburbanæ aquæ alta glacie concrevere, ut ex urbe Torcellum, Medoacum, & (quod omnino longius fuit) Clodium usque pedibus iretur . Proditum est memoriæ , ex Mestra oppido sponsam curru Venetias adveytam , quod nullis ante ætatibus acciderat, ut id aquarum, quod inter urbem est & continentem , fuerit aliqua ratione plaustris pervium . Post cladem in Hetruria ad Ausserim fluvium acceptam tentassent Florentini , reparato exercitu , Picinino absente , Lucam denuo obsidere (secesserat ille post eam pugnam , ad Pontem Tremulum & alia Fliscorum loca, quæ circa Alpes erant oppugnanda) nisi Bartholomæus Fornarius , Liguisticarum triremium quinque , duarumque oneriarum præfectus , Liburnium per eos dies infedisset . Quo motu veriti illi , ne aliqua Pisaniorum sequeretur defectio , partem copiarum ad præsidium urbis eo mittere sunt coacti . Nec ita multo post Picininus affuit , qui mira celeritate omnia Pisani agri oppida , paucissimis exceptis , in suam potestatem rededit . Florentini , reliquis amissis , veriti ne & Pisæ quoque ab victore hoste occuparentur , proposito miserabili edicto , ut priusquam candela ardens absumeretur , ciues omnes a quinto decimo anno ad sexagesimum urbe decederent , suspectam civitatem multitudine exonerarunt . Ex Pisano agro in Volaterranos hostis movit : fuitque expeditio illa nihilo Pisana deterior . Cæteris ademptis , Volaterræ quoque in discriminem venissent , nisi Michael Attendulus , quem Eugenius Pontifex Florentinis miserat , opidum maturo adventu protexisset . Hæc in Hetruria .

Mirari interim Philippus quid esset , quod Carmaniola , qui apud Urcios copias jam pridem instructas habere dicebatur , nihil ad eam diem movisset : veritus ne , velut priore bello , ab aliquo non expectato facinore quod in-

1431
Thessalonici
ca a Turcis
capta.

Aqua sub-
urbanæ gla-
cie alta
concreta
plaustris
pervia fa-
cta sunt.

Florentini
de Pisæ re-
tinendis ve-
hementer
laborant .